



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XCV. Rabanvs. LXIX. Arch. XXIV. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

rigidæ castigatæque vitæ amator prævius. Mox inde Martini V. Rom. Pontificis, à quo Pallium accepit, hortatu arma in Hussitas unà cum sociis Principibus convertit, eventu minùs secundo. Inter publicos tumultus Hierosolymam adeundi sacra voluptate captus, abiit, rediitque Clericorum mores multis consiliis & violentis remediis curaturus. Verùm cùm votis non responderet eventus, animo magis quàm corpore cœpit laborare, & animam suam modis & mediis optimis curare, mortem præveniendam ratus. Confluentiâ Treviros funus perlatum, ad aram Magnæ Virginis est depositum hoc cum elogio: *Humilitatis exemplar, Ecclesiasticæ reformationis zelator, Iustitiæ, Veritatis & Pacis plantator, Eleemosinarum largus Dator, requiescat.* Ottone vivis erepto Udalricus de Manderscheid, & Jacobus Sirkius primæ notæ Canonici à pugnantibus partibus delecti, dum causam dubiam egerunt Romæ, Pontifex Martinus V. utroque vivere ac valere iussit, Spirenses Episcopum multis modis celebratum, Archipræsulem Trevirorum simul constituit & confirmavit, qui fuit

XCV. RABANVS. LXIX. ARCH.

XXIV. ELECTOR.

Rabanus cognomento Helmstadius, quem tamen Eugeni IV. Martini Successor contra Udalricum Manderscheidium pertinaciter suo in proposito persistentem denovo confirmatum propugnaret, pars tamen Clericorum & Nobilium in dies major, Udalrico majori studio partim favere cœpit, partim favere non destitit, in subsidium vocatis si non magicis, saltem obscuris artibus; quibus tamen profecere parùm, aut nihil. Rabanus ergo ringentibus hostibus in Sede communitus, post breve temporis intervallum à Comite Virneburgico armis petitur. Ut pacem quovis auro pretiosorem daret, & datam conservaret, oppignorationem Schönecei, Schöneburgi, Dunæ, Kempenichii, & Hamersteinii pro 4500. aureorum summa admisit; unde

R

rursus

rursus diræ & iræ, præsertim cùm ærarium exhaustum clamitent, qui fortè exhauserant. Tot inter fyrtes & charybdes medius Rabanus, Joannem Episcopum Leodiensem in Adjutorem sibi delegit, telonium & vectigal urbis Marcetumque Sirckii quondam æmuli partibus pro crediti pignore cessit, Episcopatum suum servata in sustentationem auri summa non magna dimisit, æs alienum jam priùs contractum debitis novis augere coactus, morti & Pontifici obedientiæ victima cecidit, inter mortales parùm gloriosus, inter immortales, ut pars minor, at melior dicebat, immortalis gloria dignissimus. Mort. an. 1439. Sed. 9.

XCVI. IACOBVS. LXX. ARCH.
XXV. ELECTOR.

Jacobus genere & cognomento Sirckius Udalrico æmulo meritis maior longè, ab Eugenio Pont. confirmatus, Clericos urbem tributorum copiâ ferè suppressam egressos, ad sexennii tributum pro levanda Reipublicæ necessitate pendendum induxit reduxitque, civibus ritè conciliatis. Legationem deinde ob experientiam maximam ad Fridericum Austriæ Archiducem, in Alberti II. Cæsaris defuncti locum non ita pridem evectum suscepit, comes Friderico factus, ad coronam Imperii eidem Aquisgrani imponendam, ibidem Archicancellarii Moguntini Electoris loco perfunctus munere; quam ob rem ab Imperatore Regalibus, ut vocant, ornatus, vectigal Hamersteinianum impetravit, cui etiam Poppardiense accessit. Ut verò ante alios populum Trevirenses sibi arctius devinciret, consules deligendi copiam eidem indulfit, tanto tempore, quanto ipse viveret. Laboravit inde, ut Carolum Gallorum Regem post devictos Anglos nemini non formidatum sibi benevolum redderet. Dum verò unam vitavit, alteram contra se tempestatem excitavit, cùm ipse, & unà Theodoricus Colonienſis Elector in causa Concilii Basileensis Eugenio IV. Pon-